

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in two columns, with some lines appearing to be part of a list or a structured document. There are several red initials and some underlined words, but the specific content is difficult to discern due to fading and bleed-through.]*

Communicata  
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. v. Maxß  
1831 oho

CARMEN DE

MISSIONE SPIRITVS SANCTI,

AD CLARISSIMUM VIRVM, PRVDENTIA ET

virtute præstantem D. Hieronymum Rauscher,

Prætorem inclytæ urbis Lipsiæ,

Scriptum

A

MELCHIORE SAVR

Cygnæo.

πνεῦμα ἅγιον, τὸ φῶς καρδιῶν βασιλευῆτατος ἁδῶ  
μκλεχίωρ, θεοθεν ἐκπροπορευόμενον.  
δξὺς ἐπωνυμίην ἐσίη καὶ πατρίδα κύκνϙ,  
ὄξὺ νοῶν θυμῶ κύκνϙ ἔγραφε μέλος.

Ioh: Chesselius.

VVITTEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES

CRATO.

ANNO M. D. LV.



CLARISSIMO VIRO, PRVDEN-  
tia & uirtute præstanti, D. Hieronymo Rauscher,  
Prætori Inclytæ urbis Lipsiæ,  
Melchior faur Cygneus  
S. D.

**V**IR grauis, & ueræ uirtutis nomine præstans,  
Cuius Lipsiaca fulget in urbe decus.  
Cum fueris semper patriæ Studiosus amator,  
Patria posse tuo gaudet honore frui.  
Hæc quoniam titulis te nunc ornauit honestis,  
Virtuti tribuens præmia digna tuæ:  
Te quoq; constituit custodem iuris & æqui,  
Gratulor officio, clare Patrone, tuo.  
Vtq; tibi merito de me bene tester amorem,  
Hæc tibi nunc Musæ pignora mitto meæ.  
Nam scio te castas sincera mente Camœnas,  
Et promptum studij cæpta fouere mei.  
Est tua quæ pietas, & candor mentis honestæ,  
Hos uersus animo candidiore legas.  
In quibus æterno pro misso flammine grates  
Nostra Thalia Deo, pectore & ore canit.  
Quod facis ergo pias dextræ complectere Musas,  
Quæ poterunt nomen ferre sub astra tuum.  
Qualescunq; boni conatus consule nostros,  
Nec mea rugosa carmina fronte lege.  
Post si pierios melius gustauero fontes,  
Voce tuas laudes splendidiore canam.  
Interea cæptis uires hærentibus adde,  
Vt studij cursum continuare queam.

Cars

CARMEN DE MISSIONE SPI-  
RITVS SANCTI, AD CLARISSIMVM VIRVM,  
prudentia & uirtute præstantem, D. Hier-  
ronymum Rauscher, Prætorem  
inclytæ urbis Lipsiæ.

LUX oritur Solymæ quondam celeberrima genti,  
Qua lex è Sina tradita rupe fuit.  
Cum foret à Phario gens libera facta Tyranno,  
Purpureum sicco per mare ducta pede.  
Est eadem nobis lux quinquagesima ab illa,  
Qua sumus à Stygijs libera turba uadis.  
Cum Deus omnipotens deuicta morte resurgens,  
Ulcerà sanauit sanguine nostra suo.  
Soluit & hoc λύτρον, quod debuit impius orbis,  
Iusticia mundans pectora nostra sua.  
Hoc est à iusto sublatum uindice uirus,  
Quod Stygio serpens sparserat ore uaser.  
Hoc referante fori cœlesti reddimur uno,  
Quæ prius unius crimine clausa fuit.  
Ille ubi iam uictor superas rediisset in auras,  
Dat turbæ sacrum flamen Apostolicæ.  
Continuò cælo fragor ingens uenit ab alto,  
Et sonuit moto turbine tota domus:  
Visus & est uiua delapsus ab æthere forma  
Spiritus, & sancti sedit in ore chori.  
Ergò diuinis feruentia pectora flammis,  
Concipiunt fidei robora firma nouæ.  
Dissectaq; Dei magnalia uoce loquuntur,  
Lumine cernentes iam propiore Deum.

A ij

Hæc



Hæc noua successum signant miracula uerbi,  
Cuius ab auditu uiuere corda solent.  
Sicut enim uiuo nihil est uiuacius igne :  
Sic penetrat uerbum credula corda, Dei.  
Mox ubi uiuifico flatu sacra turba calefcit,  
Accipit & uiui munera uiua Dei.  
Prodit, & in uulgus latè noua dogmata spargit,  
Et fundit linguis dulcia uerba nouis.  
Tunc fuit in Solyma uariæ collectio gentis,  
Audiuit linguam natio quæq; suam.  
Ergo spectantes subiti miracula facti,  
Hos uti linguis obstupuere nouis.  
Pars sonat Hebræam, Græcam pars altera linguam,  
Audit natiuos aduena quisq; sonos.  
Ecquis non potuit mirari talia spectans,  
Humana nequeunt quæ ratione capi ?  
Sed tamen ut nanum est, contemnit ut omnia uulgus,  
Hos dulci plenos clamitat esse mero.  
At Petrus uanæ carpit conuicia plebis,  
Et dictis contrâ talihus usus ait.  
Tertia crescentis uix præterit hora diei,  
Quo non misceri tempore pocla solent.  
Dedita botrifero non est hæc turba parenti,  
Numine sed flâgrat uiuificante Dei.  
Dein sonuit mira Christi dulcedine dogma,  
Muneris ostendens splendida signa sui.  
Deniq; tota cohors uastum diuisa per orbem,  
Dogmata saluifici sparsit ubiq; Dei.  
Ipse λόγος sanctis uires Doctoribus addens,  
Iuuit ut inceptum progredieretur opus.

Et

Et dedit illorum firmantia robora mentes,  
In ueri uera cognitione Dei.  
Hoc duce collecta est Ecclesia uera per orbem,  
In uerbo uiuax dum fuit ipse λόγος.  
Hic λόγος æterni testatur uoce parentis,  
Humanum saluum quod uelit esse genus.  
Hæc quoque prisca fuit priscorum concio uatum,  
Qua sunt saluati non dubitante fide.  
Est igitur Christo credendum arcana ferenti,  
Quæ tulit ex sinu filius ipse patris.  
Hos Deus omnipotens legatos misit in orbem,  
Doctores uerbi iussit & esse sui.  
Et quia erant illis subeunda pericula mundi,  
Inuisus uerbo qui solet esse Dei.  
Languida firmavit diuino pectora flatu,  
Fortiter ut possent obuia ferre mala.  
Ergo quid hostiles metuant flammisque minaces  
Officij faciunt munera quisque sui.  
Non hos ambitio, non uani gloria mundi,  
Nec stolidæ plebis gratia blanda mouet,  
Splendida nec curant magnorum munera regum,  
Blandiloqui spernunt dulcia uerba gregis.  
Nullaque munitas perturbant nubila mentes,  
Viuifici flatu quæ caluere Dei.  
Denique pro solo non ulla pericula Christo,  
Illius & uerbo sustinuisse negant.  
Sic quæcumque facit uiuis facit omnia flammis,  
In uerè sanctis Spiritus illi Dei.  
Illud & omnipotens & inenarrabile numen,  
Cum patris & gnati numine numen idem.

A iij Cum

Cum quibus ex nihilo cunctarum semina rerum  
 Condidit, & seruat quod fabricauit opus .  
 — Cum nondum nitidi fulgerent ætheris orbes ,  
 Esset & in nullo terra fretumq; loco.  
 Hic fuit, & rerum primus primordia struxit ,  
 Quicquid & hæc mundi machina tota tenet .  
 Mens bona, mens sapiens, & mentis flamma paternæ,  
 Omnia quæ flatu uiuificante replet.  
 A patris & gnati procedens pectore flamen ,  
 Quod fouet afflatu cuncta creata suo.  
 — Ipse Deo motus in corde uolente placentes  
 Accendit, templum quod facit esse Dei .  
 Vtq; uel æstiuis languentes solibus Eurus,  
 Vel fessos operis mollior aura leuat:  
 Sic uires in corda Dei tremulo ægra timore,  
 Afflatu reuocat spiritus ille suo .  
 — Spiritus alme Deus triplici de numine numen,  
 Omnia qui flatu uiuificante replet.  
 Humani generis saluator, fautor, & autor.  
 Iusticia saluans credula turba Dei.  
 Caste Deus, sapiens, bone, mens liberrima, iustè,  
 Omnipotens motor, fons & origo boni.  
 Omnia diuina qui mente creata gubernas,  
 Cuius & omne quod est pendet ab imperio .  
 Aspice luctantis squalentia tempora mundi,  
 Quam sint horrendis omnia plena malis.  
 Omnia uoluuntur dubio in discrimine rerum ,  
 Amplius hic mundus nil pietatis habet.  
 — Impendent subiti casus, tristesq; ruinae,  
 Tristis & in toto est languidus orbe status .

Dirus



Dirus ubiq; Sathan, dominantur ubiq; Tyranni,  
Ingruit & magni magna propago mali.  
- Ergo conserua reliqui Deus agmina coetus,  
Ne fiant sancti praeda petita malis.  
Tolle Gyganteos non sicca morte Tyrannos,  
Concedunt uerbo qui loca nulla tuo.  
In nos grassatur Stygij uis saeva Draconis,  
Qui uerè colimus nomen ubiq; tuum.  
Ille anguis ueteri nostras caligine mentes  
Ut mergat censet muneris esse sui.  
- Sed tu sancte Deus foedæ contagia pestis,  
A nobis arce uirus & omne malum.  
Fortitèr insidias saui uincamus ut hostis,  
Afflatu firma pectora nostra tuo.  
Angelicae uigilent pro nobis agmina turmae,  
Ne nos incautos obruat unda mali.  
Redde precor mundo felicia tempora pacis,  
Ut sonet hic uerbi uox & ubiq; tui.  
Ut tua Germanis Ecclesia crescat in oris,  
Da pacem studijs, hospitiumq; pijs.  
Et nos & nostros mores rege, flecte, secunda,  
Nostra sit ut normæ consona uita tuæ.  
- Collige collecti serua Deus agmina coetus,  
Quæ te non dubio pectore & ore colant,  
Nec sine deleri doctrinæ semina ueræ,  
Nominis ut crescat cultus honosq; tui.

F I N I S.



153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86



*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar. The page is heavily stained and discolored. Several red initials and underlines are visible, marking specific sections of the text.]*





CARMEN DE

MISSIONE SPIRITVS SANCTI,

AD CLARISSIMUM VIRVM, PRVDENTIA ET

virtute præstantem D. Hieronymum Rauscher,

Prætorem inclytæ urbis Lipsiæ,

Scriptum

A

MELCHIORE SAVR

Cygnæo.

Πνεῦμα ἅγιον, τὸ φῶς καρδιῶν βασιλευῆτατος ἁδῆ  
μκλεχίωρ, θεοθεν ἐκπροπορευόμενον.  
ὁξὺς ἐπωνυμίην ἐστὶν καὶ πατρίδα κύκνου,  
ὁξὺ νοῶν θυμῶ κύκνος ἔγραφε μέλος.

Ioh: Chesselius.

VVITTEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES

CRATO.

ANNO M. D. LV.

